D[omi]no Michaeli Meyenburgo S.

Quam vellem mansisse te usque in hunc diem Augustae Vindelicorum, etiam cum fortunarum ~~tua~~ tuarum damno aliquo. Principio ~~ut~~ ut habuissem cuius consilio in rebus maximis atque gravissimis, ad quas post tuum discessum adhibitus sum cum aliis quibusdam, uti, et cum quo de rebus omnibus bona fide communicare et deliberare potuissem, Deinde ut etiam tu cognovisses mecum quam fenestram aperuerit Deus Euangelio Christi dilatando in tota Germania. Nam spero confore ut tota Germania arripiat Euangelium Gratia et Gloria beati Dei. Euangelii doctrinam nobiscum docebunt Episcopi. Missa erit tantum sacrificium commemorativum, non quo iterum [illegible] [illegible], sed quo recordaremur istius magni sacrificii per Christi sanguinem praestiti, Ut hac memoria applicemus nobis quotidie

tum signum remissionis peccatorum, iam olim
commeritum in cruce per fidem cordium.
Primates pontifices desinent. Populus integra
Eucharistia communicabitur. Sacerdotibus
permittentur coniugia. Traditiones omnes
ita sunt liberae, ut tantum disciplinam, et
exercitium fidei valere debeant.
De sanctis siquid abominabile irrepserit,
tolletur, corrigetur, emendabitur, certis sin-
odis. Nam duo Electores, Saxonicus
et Brandenburgensis inter se convenerunt,
ut primo quoque tempore unam Sinodum
celebraturi sint, et hoc ordine bene εὐσχημόν-
ως constitui debeant. Deus Optimus Maximus
adsit operi suo, et confirmet hoc quod operatus
est in nobis propter gloriam nominis sui
Amen.
Hoc volui in sinum tuum effundere, sunt enim
adhuc tacita et occulta. Quamquam enim Episcopi
vehementer huic rigori adversentur, tamen
piissimus Carolus hic insuper eos coercuit,

2321

Ut nihil spei porro in eum collocare queam.
Dicitur mihi mira et iucunda ~~quae~~ audivi, si essemus
simul. Postremo haec caussa finitur dimissusque est
Princeps Carolus, Id ergo spero prope diem ~~futurum~~ fore.
Fuit hic Brunsvig a Caesare vocatus, et gessit se pulcher-
rime. Vellem si fieri posset, ut in itinere con-
venirem, non poeniteret te nostri colloquii sat scio.
Proinde tu pro tua prudentia in his rebus cogitabis et
me amabis. Datum Augustae xiiij Aprilis
Anno 1549

Ioannes Agricola Islebiensis.